


Early European Books, Copyright © 2011 ProQuest LLC.
Images reproduced by courtesy of The Wellcome Trust, London.
78/A








CORNE AGRI
DE VANI SCIE

ORATIO

ISOCRATIS AD PHILIPPVM REGEM MACEDONVM, DE CONCORDIA DOMI CONSTITVENDA, ET BELlo transſferendo in Aſiam contra barbaros, conuerſa ex græca a Georgio Sabino.

ANNO. M. D. XXXI.

CLARISSIMO VIRO DN. DOCTORI CHRISTOPHORO TVRco iurisconsulto Cancellario principis Moguntini suo patrono.

Georgius
Sabinus.

Cum tua facundæ mihi gracia cognita linguæ
Esset, & ingenij dextera fama tui,
Nec meus auderet sine Mecoenate libellus,
Solus ad ignotas principis ire fores,
Commendata tuo mea scripta fauore putabam,
Posse sacro tanti præsulis ore legi.
Ergo uir eloquij clara celeberrime fama,
Te iuuenis supplex uersibus oro meis,
Hic liber ingenuo tibi si candore probatus,
Dignus honorato principe uisus erit,
Vt nostra exhibeas illi non noxia scripta,
Mollia cum fandi tempora nactus eris.
Hæc noua quæ lacijs oracio reddita uerbis,
Græca sed, a summo Rhetore scripta, fuit,
Suadet, ab Herculeo Macedum Rex natus Amynta,
Aduersus patriam ne ferat arma suam,
Vertat in externas sed bella domestica gestes,
Argolico subdens Persica regna iugo.

Sic tuus hoc utinam discordi tempore princeps.
Cæsaris ingenium flectere mite queat,
In patria gratæ conseruet ut ocia pacis,
Bellaq; cum diro iusta latrone gerat.
Qui ducis Austriaci tot cladibus afficit urbes,
Vastat & hostili Pannona regna manu,
Seq; triumphato moturum uictor ab Istro,
Ad liquidas Rheni castra minatur aquas,
Si mea nunc igitur te iudice scripta placebunt,
Atq; uidebuntur præsule digna tuo,
Quem damus, augusta precor hunc de pace libellũ,
Vt tua propenso lingua fauore iuuet.

REVE-

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO PRINCIPI AC DOMINO, domino Alberto Cardinali Electori, Archiepiscopo, Moguntino, Madeburgensi, primati Germaniæ, Administratori Halberstadensis Ecclesiæ, Marchioni Brandeburgensi, Principi Pomeraniæ &c. Domino suo clementissimo Georgius Sabinus S. D.



QVANQVAM NVLli iustius dedicant sua scripta clarissime princeps studiosi omnes, quam tibi, quia uix quisquam alius principum melius intelligit studia aut benignius fouet eruditos, quam tu. Tamen ego præter hanc causam, & aliam quandam in hoc opere tibi dedicando propriam sequutus sum. Exhibeo enim tibi orationem Isocratis, in qua uir illis temporibus autoritatis summæ in uniuersa græcia, & concordiæ publicæ cupidissimus, hortatur Philippum Regem Macedonum, qui ad id

tempus bellum cum Athenienſib. geſſerat ut pacem cum Græcis ciuitatib. omnib. faciat, & conſtituta domi concordia bellum in Aſiam una cum ſocijs transferat, & non modo græcos, ſed etiam patriam metu ſeruitutis liberet. Imperabant enim eo tempore in Aſia Perſæ, qui colonias græcorum crudeli ſeruitute oppreſſas tenebant quiq; ſæpe in Europa traiecerant, & græcos maximis cladib. affecerant, & quotidie bellum uicinis gentib. in Europa denunciabant. Itaq; grauiſsime commemorat Iſocrates hanc futuram eſſe rem maximo rege, ac fœliciſsimo imperatore dignam, ſi conſtituta domeſtica concordia ciuib. ac ſocijs parcat, & pro patria aduerſus exteros ac barbaros bellum gerat. Ac profecto diuinitus admonet Iſocrates, ſe, ſi quid boni dixerit, non eſſe autorem exiſtimandum, quia confectus ſenio propter ætatis imbecillitatem res tantas perſpicere non potuerit, ſed deum ſubieciſſe, ſollicitum de græciæ ſalute & uolentem græcos præſentib. malis tandem liberare, & Macædonum gloriam augere. Nam hac oracione ceu fatali uoce perſicum regnum concidit. Philippus enim autoritate huius oracionis excitatus omnia ad tantum bellum neceſſaria comparare cœpit, ſed morte impeditus ſucceſſio-

nem

nem huius gloriæ filio Alexandro reliquit. Quem græci scribunt, & si domesticis bellis implicitus erat, tamen hac oratione lecta accensum esse, ut rebus domi compositis, citius in Asiam traiecerit. Hanc orationem cum his proximis diebus legerem & illorum temporum motus cum presentibus conferrem, non inuitus latinam feci, sperans multos bonos uiros de repub. cogitantes, libenter eam lecturos esse. Tibi autem præcipue dedicaui, quod uidere mihi quandam in ea imgainem tuorum consiliorum uidebar. Nam ut Isocrates Philippo, ita tu Philippi filio Carolo Cæsari, qui & imperij fastigio, & fœlicitate par est illius Philippi filio Alexandro, autor esse soles, ut constituta domi concordia pium & necessarium aduersus externos hostes bellum suscipiat. Cumq; alij non nulli incitent optimum principem aduersus patriam, non obscure cognouimus te autoritatem tuam omnem ad pacem tranquillitatemq; Germaniæ conferre. Quod quidem hoc tuo loco dignissimum est & deo gratißimum & a bonis ac prudentibus uiris ad, omnem posteritatem amplissimis laudibus uehetur. Nam hoc tuum beneficium latissime patet.

Cum enim tales extiterint in hac natione controuersiæ, ut sine summo periculo ecclesiæ diiudicari armis non possint, si res non agetur ciuiliter, sed uiolentis consiliis, nulla ad posteros ecclesia, imo ne posteritas quidem futura uidetur ulla. Proinde omnium in te bonorum uirorum oculi in uniuersa Germania coniecti sunt. A te secundum deum pacem atq; salutem expetunt. Quid autem tibi inter homines maius atq; gloriosius his iudicijs bonorum contingere queat, quibus tibi tribuitur tantum, ut in summo periculo plurimũ reipub. præsidij in tua uirtute ac sapientia positum esse credatur. Ego igitur, ut hanc de te nostri ordinis opinionẽ cognosceres, Isocratem ad te misi, qui uidelicet hac ipsa de re interdũ pro nobis tecum quasi colloqueretur, & nostra studia ac salutem nostram tibi commendaret. Cuius orationem ut spero, cum intelliges cum tua sententia congruere, non aspernaberis.

Porro quemadmodum ipse Isocrates inquit, deum sibi consilij autorem fuisse, qui græciæ calamitatibus afflictatur, eamq; præsentibus malis liberare cupiat, ita speramus te quoq; diuinitus ad pacis consilia duci, & precamur ut Christus ea gubernet ac fortunet. Bene Vale.

ORA

ORATIO ISOCRATIS AD PHILIPPUM MACEDONEM.



NE MIRERIS PHILIPPE quod incipio, quasi de Amphipoli dicturus, nec sumpsi exordium proprium huic orationi quæ nunc tibi recitabitur, de qua, antequam dicendi inicium faciam, pauca præfabor, ut tibi aliisq; manifestum reddam, me neq; errore aliquo neq; delyrio impulsum esse ut ad te scriberem, quanquam fortassis aliqua ex parte ætas etiam impulit. Cum enim ex isto bello Amphipolitano magnam tibi & ciuitati uiderem impendere calamitatem, dicendum mihi de hac urbe & regione putaui. Porro nihil tale dicere uolui, qualia uel a tuis amicis, uel a nostris oratoribus dicuntur, sed quam se, longissime dissidencia ab istorum opinionibus. Illi enim inseruientes affectibus uestris ad suscipiendum bellum uos hortati sunt. Ego autem nihil pronuncians de controuersia, orationem institui,

Occasio scribendi.

Philippus bellum gesserat cum Atheniensibus propter Amphipolim. Id cum esset dissuasurus Isocrates, & hanc orationem instituisset, intellexit pacem ab utrisq; factam esse. Hanc pacificationē in icio comprobat & laudat.

quam maxime utilem existimabam esse faciendæ paci. Dixi uos utrinq; frustrari expectacione uestra. Tu enim gerendo bello ea occupare cupiebas, quæ nos nostro bono amissuri eramus. Et uicissim urbs nostra bello gerendo tuam potenciam augebat. Nam tibi quidem proderat tenere Amphipolim, nobis autem retinere non proderat. De hac re ita uisus sum uerisimilia dicere, ut oratio plus haberat admirationis propter rerum ueritatem, quam propter eleganciam sermonis. Et existimabant omnes nullum finem bellorum fore, nisi tu persuasus his racionibus urbis nostræ societatem atq; amiciciam pluris faceres, quam uectigalia ex Amphipoli reditura. Et uicissim urbs nostra hoc experimento docta, disceret quod non conducat tales colonias deducere aut defendere. Sed ea loca querenda esse quæ uicinos habent ad seruitutem assuefactos, non formidabiles aut imperij cupidos. Sicut & Lacedæmonij Coloniam Cyrenas deduxerunt ad homines imbelles. Ad hæc ostendebam te ad pacem faciendam & hac racione moueri debere, quod hanc regionem titulo tenus tantum nobis traderes. Cæterum re ipsa tu retineres, & insuper beneuolenciam nostram acquireres. Nam tot obsides nostræ amiciciæ acceptu-

rus

rus esses, quot indicionem tuam colonos mitte remus. At ciues nostros ostendebam hac ratione moueri debere, ne cuperent retinere Amphipolin, quod si retineremus, cogeremur propter nostros colonos magis te colere, quam ullos unquam coluimus propter agricolas in Cheroneso. Cum autem res urbis nostræ sic se haberent, ut ego dixi, isti qui audierunt orationem, sperabant ea edita, uos mutato consilio bellum composituros, & de pace atq; utilitate communi deliberaturos esse. Hæc siue stulte, siue imprudentur cogitata sunt, culpa illorum erit, qui ad editionem hortabantur. Ego dum in hac oratione apparanda uersor, priusquam eam absolui, accepi uos pacem fecisse, quod sapienter a uobis factum est. Nam quoquo modo componirem magis proderat, quam in his malis uersari diutius, que bellum afferebat. Porro maxima lęticia affecit me decretum de pace facta, & arbitratus non solum in rem nostram, sed eciam tuam atq; aliorum græcorum omnium fore, non potui ab incepto desistere, aut deponere curam adhortandi uos ad concordiam. Considerabamq; quomodo inchoatam pacem retinere possemus, ne urbs

nostra

Facta pax inquit, se ideo hanc oracionẽ instituisse, ut ostenderet & qua ratione simul conseruari græciæ tranquillitas posset, & liberari a metu persicæ tyrannidis.

nostra pertæsa breui ocium rursus alia bella concupiscæret. Hæc singula mecum reputans, inueni nulla alia ratione ipsam quiescære posse, nisi potentissimæ urbes omissis priuatis discordijs, bellum in Asiam transferant, & imperium quod nunc in ipsos græcos exercent, illud sibi in barbaros parare uelint. quemadmodum & in panegyrica oratione consului. Cum autem considerarem hæc, & arbitrarer nullum aliud inueniri posse argumentum, neq; præstancius, neq; cuius utilitas lacius pateret, ego denuo de eadem re scribere adductus sum, non ignorans ingenij mei imbecillitatem, sed sciebam, quod hæc oratio non conueniret ætati meæ, sed uirum requireret florentem ætate, & ingenio longe alijs præstantem. Ad hæc intelligebam quam difficile esset duas orationes eodem argumento edere, maxime cum prior ita scripta sit, ut æmuli nostri imitentur eam tanquã exemplum ac magis admirentur, quam ulli istorum qui nostri studiossimi sunt. Ego tamen facile despexi omnes difficultates, & in ultima senecta adeo ambiciosus fui, ut ad te scribere instituerem. quo ostenderem & tuis oratoribus, & nostris, quod ad populum habere conciones perinde sit, ac si quis ad neminem habeat orationem. quodq; tales conciones perinde sint inutiles, ac

sophista-

sophistarum libri de rebuspub. scripti. Sed si qui prodesse uolunt, existimantes se utile consilium reperisse, permittant sane alijs, ut ad populum concionentur. Verum ipsi querant certum aliquem lectorem principem uirum, sapiencia, uirtute, & opibus præstantem. Hoc cum cogitarem decreui ad te scribere, non ad aucupandam graciam, quanquam magnopere optarim tibi oracionem meam non ingratam fore. Sed non fuit hæc consilij mei ratio. At uidebam alios præclaros uiros, qui tenent respub. nullam potestatem habere aliud faciendi, quam quod ipsis commissum est. nec esse pares his rebus de quibus orationem institui. Tibi uero soli magnam potenciam a fortuna datam esse, qui & mittere legatos ad quoscumq; uoles possis, & accipere a quibusuis. Tum consulere id quod utile fore existimaueris. Præterea tantum imperium & opes possidere, ut nemo græcorum sit tibi conferendus. Quæ res in utramq; partem magnam uim habent, & ad persuadendos & ad cogendos homines. Et utroq; opus habent hæc, quæ dicturus sum. Consulam enim tibi, ut constituta inter græcos concordia expedicionem aduersus barbaros una cum ipsis suscipias. Quod si græcos ad hoc bellum suscipiendum persuaseris, erit hoc & tibi priuatim honorificum, & publice utile

Quare proprie ad Philippũ scribat.

Proposicio & summa tocius orationis.

utile. Hæc igitur tocius oracionis est summa. Nolim autem te ignorare, quod quidam me conuenerunt, quibus improbari meum consilium animaduerti, qua de re oportere fieri te cerciorem arbitror. Cum enim indicassem eis, quod oracionem ad te missurus essem, non in laudes, neq; præconia rerum a te gestarum, compositam. Hæc enim alij celebrabunt, sed qua te hortarer ad res longe amplissimas, quarum & honestas & utilitas latius pateret, quam quas hactenus concupiuisti, adeo ueriti sunt ne delyrarem uicio ætatis, ut obiurgare me ausi sint, cum prius me increpare numquam soliti essent. Dicebant me inepte facturum esse, qui Philippo de rebus suis deliberandis orationem missurus essem. qui etiamsi prius se opus habere consilio alicuius putarit, tamen gestis rebus tantis non minus ualere consilio quam alij uideatur Deinde et Macedonum habet prudentissimos apud se, quos uerisimile est, etiam si aliarum rerum rudes sint, tamen id quod illi magis conducat, rectius intelligere quam te. Præterea uero uersantur apud eum multi græci, non ignobiles uiri, neq; stulti, quorum ille consilio usus, non diminuit regnum, sed res gessit tantas quantas optare uix ausus esset. Quid enim non successit ei? Nonne Thessalos qui Macedoniam prius infestabant, ea deuinxit

Occupatio, ne uideatur oblitus decori quod tanto regi consilium promittat.

deuinxit sibi familiaritate, ut quilibet illorum maiorem ei fidem quam proprijs ciuibus habeat? Vrbes autem finitimas, partim beneficijs ad suam societatem pertraxit, partim funditus euertit. Magnetas et Perrhebæos & Pæonas deuicit, & omnes subegit. Tocius uero multitudinis Illyriorum, præter hos qui Adriam accolunt, uictor ac dominus factus est, deinde in tota Thracia, quos uoluit præfectos constituit. Talem profecto uirum, quiq; tanta gessit, non putas iudicaturum insigni hunc stulticia præditum esse, qui libellum miserit, & existimaturum, istum neq; decori racionem habere, neq; consilia sua intelligere. Hæc postquam audiui, quam perturbatus inicio fuerim, & quomodo me colligens rursus, ad singula quæ obijciebantur responderim, prætermittam, ne uidear animi causa illos exagitare. Cum autem satis refutassem illos meo iudicio, tandem pollicebar me orationem solis ciuibus exhibiturum, & nihil aliud de hac quam quod ipsis uideretur facturum esse. His auditis abierunt nescio quomodo affecti. Post paucos uero dies, absoluta oracione atq; exhibita illis, ita priorem sentenciam mutauerunt, ut suæ temeritatis eos puderet. Pœnitebat autem eos omnium quæ dixerant,

nullaq; unquam in re magis se errasse fatebantur. Ac magis impellebant ad mittendam hanc tibi oracionem. Dicebant enim quod sperarent, non solum & ciuitatem mihi pro oracione gratiam habituram esse, sed etiam uniuersos græcos Hanc ob causam ista tibi commemoraui, ut si quid inicio orationis esse uideatur tibi, aut non probabile, aut impoßibile, aut quod te facere non deceat, ne moleste ferens omittas quæ sequuntur, nec idem accidat tibi quod familiaribus meis, sed æquo animo perseueres dum finem tocius oracionis audias. Ego enim me de his rebus dicturum esse confido, quæ decent & expediunt tibi. Atqui non latebat me, minorem uim in scriptis esse, quam in uiua uoce. propterea quod omnes existimant in serijs & necessarijs negocijs consilium uiua uoce dari. Scriptas uero oraciones tantum ad ostentationem & quæstum compositas esse. Et recte senciunt. Ociosa enim uidetur oratio destituta autoritate dicentis, destituta uoce, & uarietate actionis, quam non adiuuat etiam inter agendum occasio & sollicitudo & motus animorum in re præsenti. deinde quam legit aliquis absq; cura nullum sensum addens uerbis sed tanquam numerans, merito frigere iudicanda est. Et ob hanc causam uereor ne præsens oracio minus ponderis habitura sit.

Exaggerat difficultatē instituti, quod scripto potius cogatur quam uiua uoce consilium dare.

ſit. Neq; enim dictionem ipſam numeris & figuris ornauimus, quibus utebar iuuenis ſi quid edidi, per quæ ſuauior ſimul probabiliorq; redditur oratio, quorum nihil amplius propter ætatem poſſum. Sed ſufficit mihi tantum ſi ipſas res potero ſimpliciter commemorare. Verum & tibi tali uiro conuenire puto, ut magis rem, quam genus orationis conſideres. Et ſic optime iudicabis an aliquid dicam quod non ſit utile, ſi remoueris ſophiſtas, neq; cauillaciones eorum audieris, Singula autem animo conſiderans expende, neq; id obiter aut ſegniter facito, ſed cum ratione ac ſapiencia, qua & præditum te eſſe dicunt, His enim adhibitis magis, quam opinione multorum, rectius de ipſis iudicaueris. Hec igitur ſunt, quæ ducebam tibi præfanda eſſe. Iam uero ipſam rem aggrediemur.

Principalis propoſitio continet duas partes, uidelicet, ut in græcia conſtituat concordiam. Item ut Perſis bellum inferat.

Sic enim ſtatuo te neq; tua negligere debere, & in pacanda græcia hoc efficere, ut in concordiam reducas urbem Argiuorum, & Lacedæmoniorum & Thebanorum, & noſtram. Si enim has reconciliare inter ſe poteris, nullo opinor negocio & alias concordes feceris. Nam omnes adherent iſtis, & confugiunt ſi quando metuunt, ad quamcumq; earum poſſunt, & auxilia

Hic igitur partem priorem proponit, ut ciuitates inter se reconciliet. Et argumentatur primum a meritis urbium.

inde petunt. Quod si quattuor urbibus solum persuaseris, ut concordes fiant, & reliquas multis malis liberabis. Scias autem quod nullam oportet te contemnere, si merita earum erga maiores tuos considerabis. Inuenies enim in unaquaque plurimam erga uos beneuolentiam magnaque officia extare. Argos est tibi patria cuius non minorem, quam tuorum parentum te curam gerere decet. Thebani autorem generis uestri, oblacionib. ac uictimis plusquam deos alios honorant. Lacedæmonij uero semper ijs, qui habent originem ab illo, & regnum & principatum tradiderunt. Et si quid historijs ueterum credimus, aiunt urbem nostram causam Herculi extitisse immortalitatis, quemadmodum ex alijs facile cognosces. Non est enim mihi nunc referendi spacium. Præterea huius autoritate defensos fuisse liberos eius. Sola enim maxima pericula aduersus potentiam Euristhei sustinens, prohibuit eum inferre iniuriam, & liberos Herculis a perpetuo in quo erant metu liberauit. Pro quib. æquum erat non solum illos qui tunc conseruati fuerunt. sed etiam qui nunc supersunt gratiam nobis habere. Nam beneficio nostro, & uiuunt,

& præ-

& præsentib. bonis fruuntur. Nisi enim illi seruati fuissent, ipsi ne nati quidem essent. Cum igitur eiusmodi omnes urbes sint, nullas te quidem simultates cum ulla exercere oportebat. Sed hæc est hominum natura, ut sæpius peccemus omnes, quam recte facimus. Quare præterita errata condonemus communi hominum condicioni. In posterum autem prospiciamus ne quid tale accidat. Estq; tibi considerandum, ut eiusmodi beneficio illas afficias, quod & te & ipsarum meritis dignum uideatur. Et opportunitatem nactus es. Nam propter spacium longi temporis putabunt non reddi sibi gratiam, sed se nunc primum accipere beneficium. Videtur autem præclarum esse, de potentissimis urbibus benemereri. Nec uero minus te ipsum quam illas adiuueris. Præterea si uoluntates alicuius ciuitatis offendisti, iam redibit tecum in graciam. Priores enim offensiones præsentib. beneficijs obruentur. Iam & illud manifestum est, quod omnes homines diu retinent memoriam istorum beneficiorum, quib. in calamitatib, affecti sunt. Vides autem quam misere sint bello adflictæ, nec dissimiles sint priuatis inter se dimicantibus. Et enim illos incensos ira nemo placare potest. Postquam Ab utili.

autem se mutuo leserunt, nemine dirimente certamen, ultro desinunt, quod & istas, nisi tu anteuerteris, facturas arbitror. Fortaßis autem dicat aliquis, me suadere tibi, ut res impoßibiles aggrediaris. Neq; enim Argiuos unquam Lacedæmonijs amicos esse potuisse, neq; Lacedæmonios Thebanis. Neq; posse in concordiam redigi tales, qui semper de imperio contenderunt. Ego uero si urbs nostra, aut urbs Lacedæmoniorum dominaretur, non iuberem hoc tentare. Facile enim iudicarem alteram alteri impedimento fore. Nunc autem de illis non idem sentio. Quia enim simili. calamitatib. omnes adflictæ sunt, magis optabunt nunc pacem, quam olim cupiebant imperium. Ac fateor neminem alium posse reconciliare has urbes. Tibi autem nihil eiusmodi difficile. Video enim te multa perfecisse supra spem atq; opinionem aliorum. Itaq; uni tibi non difficile erit, has res efficere. Oportet enim excellentes uiros non tentare hæc, quæ aliquis e uulgo posit efficere, sed ea quæ nemo alius aggrediatur, nisi tibi fuerit & prudencia, & rerum gestarum gloria conferendus. Miror autem esse qui arbitrentur impoßibile esse ut horum aliquid perficias, si ignorant ipsi, nec audierunt ab alijs quod sæpe accidit, ut qui inter se gesserunt atrocißima bella, postea

A poßibili.

Ab urbium calamitatib.

A Philippi & potentia & fortuna.

stea

stea reconciliati maximorum bonorum autores sibi mutuo extiterint. Quod maius bellum gessimus quam cum Xerxe? At huius amiciciam constat nos & Lacedæmonios postea magis coluisse, quam illorum, qui utrisq; auxilio ad parandum imperium fuerunt. Ac quorsum pertinet uetera & quæ cum barbaris gesta sunt commemorare. Quod si quis aliorum calamitates perspiciat et consideret, nullæ uidebuntur maiores ijs quas a Thebanis & Lacedæmonijs acceptimus. Tamen cum Lacedæmonij bellum Thebanis intulissent ac Bœotiam deuastaturi excindere urbes conarentur, nihilo minus nos præsidio nostro illorum impetum fregimus. Ac rursus mutata fortuna cum Thebani & Peloponenses omnes Spartam funditus euersuri essent, nos soli ex Græcis eos, fœdere cũ ipsis facto defendimus. Stultissimus igitur fuerit, si quis non existimet, eundem nunc animum ipsas habituras, cum uideat tantas mutationes esse factas, & urbes neq; odia neq; fœdera, aut aliud quicquam utilitati anteponere, præsertim si tu fueris autor reconciliationis & hanc suadeat utilitas, & præsentia mala cogant amplecti. Hæc cum omnia concurrant, facile pacem constitui posse arbitror.

Commodissime autem te intellecturum puto

 to

Distributio quare Lacedæmonij pacem optare uideantur.

to, utrum urbes inter se pacem an bellum malint, si præcipuas causas pacis faciendæ colligemus, etiamsi non omnes exacte recensebimus. Ac primũ quidem consideremus Lacedæmoniorum statum. Hi enim cum Græcorum imperium obtinerent, breui tempore summam mutationem terra mariq; perpessi sunt, postquam pugna in Leuctris commissa uicti imperium Græciæ amiserunt. Huiusmodi autem uiros perdiderunt ex suis, qui mori quam uiuere maluerunt, superati ab his quib. ipsi prius dominabantur. Ad hæc uniuersos Peloponenses, qui prius ipsos sequuti aduersus alios erant, eos cum Thebanis in suam dicionẽ irruptionem facere uiderunt. Cũ quib. non foris de possessionibus, sed in media urbe ad ipsam curiam pro uita liberorum et coniugum pugnare coacti sunt, in quo prælio si non uicissent, mox uniuersi funditus perijssent. Postq̃ autem uicerunt, tamen nondũ his malis defuncti fuerunt, sed foris cũ uicinis perpetuũ bellum gerere coguntur, et propter perfidiam ab omnib. Peloponensib. deseruntur, suntq; in odio apud oẽs Græcos, die ac nocte a seruis uexantur, nullũ tempus intermittentes quo non aut sua, aut sociorũ causa militent. Ad quæ mala hoc accedit etiã quod est maximũ. Sẽper .n. metuunt ne Thebani reconciliati Phocensibus, reuersi maiorib. quam prius unquam calamitatib. ipsos afficiãt. Atqui cũ ita se res habeat, quis nõ ex

istunc

existimet Lacedæmonios libenter uisuros esse præstantem uirũ, qui efficiat sua autoritate, ut concordia coeat, et præsentia bella dirimantur. Argiuos igitur in eodem uideas discrimine uersari, & propemodũ deterius habere. Nam undiq; bellũ cum finitimis gerunt, quemadmodum et Lacedæmonij. Hoc aũt differunt, quod illi quidẽ aduersus inferiores se, hij uero contra potentiores dimicant, id quod oẽs miserrimũ esse intelligunt. Suntq; adeo infortunati, ut parũ absit, quin singulis annis deuastari regionem uideant. Sed illud magis etiam miserũ est. Cũ desunt externa bella, domi præstantissimos ac ditissimos quosq; ciues trucidant, ex quo facinore maiorem animo uoluptatem capiunt, quam ulli alij, si quando hostes suos interfecerint. Neq; uero alia causa est istarũ domestiarũ discordiarũ, quam illud perpetuũ bellũ, quod si composueris, non solum liberaueris eos ab externis malis, sed etã efficies, ut inter ipsos domestica concordia constituatur. Sed neq; ignoras quo in statu sint res Thebanorũ, qui cũ præclara uictoria potiti, et maximã ex ea gloriam consequuti essent, quia nesciebãt secunda fortuna recte uti, nihil a uictis & calamitosis differũt, priusq̃.n. defũcti essent bello cũ Lacedæmonijs, cũq; nondũ eos domitos in potestate haberẽt, incipiebãt oẽs cõtẽnere, urbes uexabãt in Peloponeso, & Thessaliã inuadebãt redacturi eã in seruitutẽ. Me

Quare Argiuis pace opus sit.

Quare Thebani pacem optare uideantur.

 garensib. quoq;

quoq; uicinis suis minabantur ac parte aliqua dicionis urbem nostram priuabant. Deuastabant Euboeam, Bizancium triremes mittebant, tanquam imperium terra mariq; sperantes. Tandem bello aduersus Phocenses suscepto, hoc sibi plane persuasum habebant, quod breui omnia finitima loca superatis urbib. occupaturi, & pecunias in Delphis pro priuatis sumptib, accepturi essent. Sed nihil horum successit. Interim enim dum urbes Phocensium oppugnant, proprias urbes amittunt, dumq; hostium dicionem incursant, plus damni acceperunt priusquam redirent, quam intulerunt. Nam in Phocide quidem perpaucos conducticios milites, quibus mori quam uiuere magis expedit, occiderunt, Discedentes autem praestantissimos & qui uitam profundere pro patria audebant, interfecerunt. Ac tunc temporis eorum res in eo statu erant, ut cum se uniuersos Graecos in potestatem suam redacturos esse sperassent nunc in uno te omnem salutis suae spem positam habent. Proinde arbitror illos statim facturos esse, quicquid iusseris. Reliquum esset ut quoq; de urbe nostra dicerem, nisi ea bene sibi prospiciens, prima pacem fecisset, quam tibi nunc adiumento fore, in ijs quae constitueris, nullam mihi dubium est, maxime si animaduerte-

Quod Athenienses pacem optauerint.

maduerterit omnia tua consilia spectare ad bellum aduersus barbaros mouendum. Quapropter non impoßibile esse, ut has urbes inter se coniungas ex his quæ dicta sunt, manifestumque tibi esse puto. Et multis præterea argumentis declarabo, quod nullo negotio hæc res confici queat. Nam si constat quosdam ex maiorib. nostris, minus his, de quibus nos deliberauimus, & honesta & pia aggressos esse, multa tamen maiora ac difficiliora perfecisse, quare nonnulli affirmant te faciliora perficere non posse, cum illi difficiliora perfecerint? Primum autem considera Alcibiaden, qui cum a nobis esset expulsus, aliosque simili ante se iniuria affectos uideret propter magnitudinem urbis deterritos quieuisse, non eodem quo illi animo exilium tulit, sed ui conandum esse aliquid existimans, aduersus eam bellum suscepit, quæ igitur consequuta sint, nihil attinet singula recensere. Et fortassis in præsentia intempestiuum foret. Hic uero non modo urbem, sed Lacædemonios etiam cum cæteris Græcis in tantum discrimen adduxit, ut eius belli uulnera nondum sanata sint. Lacædemonij autem, qui per id tempus florebant, per Alcibiaden in præsentia infortunia inciderunt. Cum enim ab ipso persuasi essent, ut imperium mari affectarent,

Conclusio loci a poßibili.

Amplificatio ex minore.

Ab exemplo Alcibiadis ciuis Atheniensis.

terra principatum amiserunt. Atq; hoc uere dici potest, Lacedæmonijs hoc fuisse seminarium horũ malorum in quibus nunc sunt, cum principatum maris adepti fuerunt. Postquam igitur tantas ille res effecit, redijt in patriam maxima cum gloria, etsi a nonnullis reprehenditur. Conon non multis annis post similia fecit istorũ, qui cũ nauali prælio circa Hellespontum, non sua culpa, sed collegarum, superatus esset, noluit domum redire. Traijciens autem in Cyprum, priuatam aliquantisper uitam egit, dum Agesilaum ingentibus copijs in Asiam transiisse, ac regionem occupare accepisset, ubi magnitudinem animi tantam ostendit, ut cum nullam aliam occasionem, præter suum corpus atq; consilium, haberet, in spem uenerit se Lacedæmonios qui tunc alijs Græcis terra mariq; imperabant, debellare posse. Ac mißis legatis ad præfectos regis persarum, se facturum hæc confirmauit. Quid opus est uerbis? Comparato nauali exercitu cum circa Gnidum uictoriam adeptus esset, principatum ademit Lacedæmonijs, & cæteris Græcis libertatem reddidit. Neq; uero muros solum patriæ refecit. Sed urbi etiam restituit pristinam dignitatem quam antea amiserat. At quis unquam sperasset fore, ut ab homine priuato, & quem fortuna fregerat, status totius Greciæ uerte

A Cononis ciuis Attici exemplo.

retur

retur, Et uir talis, alijs urbib. imperium ademptũ alijs redderet. Dionysius autem (multis enim exemplis tibi persuadebo rem facilem esse ad quam te hortor) cum genere & gloria & alijs rebus cæteris Syracusanis esset inferior, tamẽ ualde & furenter concupisceret monarchiam, omnia tentauit per quæ imperium se consequi posse existimabat. Occupauit Syracusas & ciuitates in Sicilia quotquot Græci nominis erant, omnes redegit in suam potestatem. Copias autem tantas & pedestres & nauticas comparauit, ut haud quisquam alius maiorem prius exercitum habuerit. Præterea Cyrus, ut mentionem quoq; barbarorum faciamus, cum a matre in uiam expositus, & a muliere Perside sublatus esset, mutata postea fortuna imperium totius Asiæ adeptus est. Si uero Alcibiades urbe eiectus, Conon profligatus, Dionysius ignobilis, et Cyrus ex tam miserabili uitæ initio, maximis rebus gestis adeo processerunt, ac tantas res perfecerunt. Cur te maiorum imaginib. clarũ ac Macedoniæ regem tam potentem, facile effecturum hæc quæ dicta sunt sperare non oporteat? Considera aũt quam honeste sis facturus, si tales res imprimis gerendas susceperis, quæ si fœliciter procedent, parem tibi gloriam illis comparaueris, qui fama & laude amplißimi extiterunt.

Ab exemplo Dionysij superioris regis Syracusani.

A Cyri exemplo.

Epilogus exemplorum.

Ab honesto.

S in

ſin expectatione fruſtratus fueris, magnam tamen graciã apud græcos inibis, quorũ retinere beneuolentiam tibi longe honeſtius eſt, quam multas illorum urbes ui occupare. Nam ea res inuidiam atq; odium & maledicta parit. Illud uero quod nos tibi conſulimus, nihil iſtorum habet. Ac ſi quid tibi a dijs optandum foret, quo laudatam uitam glorioſe degeres, me conſiliario nihil perinde quam hoc tibi expetendum eſſet, Non ſolum enim alijs admirationi eris, ſed tu te ipſum beatum prædicabis. Nam quæ maior fœlicitas tibi contingat, quam cum legati præſtantes uiri ex potentißimis urbib. ad tuum principatum uenient de communi tecum ſalute deliberaturi, & te plurimi facient, propterea quod nemo perinde ut tu communis ſtatus curam ſuſcipiat. Sentics autem te autore totius græciæ conſenſum fore, eamq; quidquid præſcripſeris diligenter facturam eſſe. Nam alij audient prædicari res eaſdem quas tecum gerunt. Alij optabunt ne in perficiendis reb. ſpe tua fruſtreris. Alij ſolliciti erunt ne quid accidat tibi priuſquam finem reb. imponas. Quæ cum ita accident, cur non merito glorieris? cur non magno cum gaudio uitam agas? Cum ſcias te tantarum rerum autorem eſſe factum. Quis autem eorum eſt qui uel mediocriter iudicare poſ-

ſunt

ſunt, qui non maxime ad has res ſuſcipiendas te hortetur, quæ tibi geminum fructum afferre poſſunt, uidelicet uoluptates maximas, atq; honores ſempiternos.

Deſinerem modo niſi prætermiſiſſem quandam admonitionem, quam non obliuione, ſed uerecundia impeditus, nondum expoſui, atq; etiam nunc uereor dicere. Verum prodeſſe tibi exiſtimo ut audias & me libere dicet, ut ſoleo, loqui. Animaduerto quoſdam inuidos te calumniari, qui urbes ad ſeditionem concitant, & in communi pace bellum optabilius ſibi eſſe iudicant, ij reb alijs neglectis de potentia tua loquuntur, quod non pro Græcia, ſed contra ipſam augeatur. Et iam olim nobis inſidieris, pollicitus uerbis te Meſſenijs auxiliaturum, cum re hoc agas, ut ſi Phocenſium negocia confeceris, Peloponeſum in tuam poteſtatem redigas, Habes Thebanos & Theſſalos & omnes Amphictyones qui te ſequantur. Argiui uero & Meſſenij & Megapolitæ, alijq; multi te ad delendos Lacedæmonios adiuuare parati ſunt. Proinde ſi hæc confeceris, minimo negotio dicunt te cæteros Græcos oppreſſurum eſſe. Has fabulas ſpargunt in uulgus tanq̃ exacte conſilia tua norint. Et quia dicendo peruertunt omnia,

Occupatio qua tecte ſignificat philippo, quid de ipſo ſuſpicentur græci & admonet ut purget re ipſa ſuſpitiones illas.

multis

multis persuadent, ac præsertim istis qui eadem mala quæ oratores, expetunt, Et alijs plurimis, qui ipsi non sapiunt, nec reipublicæ curam gerunt, sed credunt his qui simulant se pro ipsis sollicitos esse. Postremo persuadent nonnullis suspiciosis, qui & apparatu tuo mouentur, & arbitrantur rem dignam esse, quam aliquis concupiscat. Qui tantum abest, ut recte iudicent, ut non intelligant eadem argumenta in alijs non idem ualere. De rege Asiæ recte diuinarent, quod Græcis insidiaretur, si quid appararet. Nam hæc res esset ei gloriosa. Si quis autem de aliquo qui ortus est ab Hercule, qui uniuersæ Græciæ seruator fuit, hoc suspicætur, maxima eum contumelia affecerit. Quis enim non indignetur, si illis insidiari uideatur, pro quibus maiores eius nulla pericula adire recusauerunt, ac beneuolentiam quam reliquerunt suis posteris, non retinere conetur, sed his neglectis, res turpes & ignominiosas appetat. Quorum te meminisse oportet, nec despicere talem famam tibi undiq; exorientem, qua te inimici tui deformare conantur. Amicorum autem nemo est qui te excusare non audeat. Atqui in his diuersis sententijs potißimum ueritatem, & quid tibi faciendum sit, perspicære poteris. Sed

Diluit suspitionem ab honesto figurate dehortans Philippum.

fortas

fortassis indignum putas, hæc conuicia curare, præsertim cum nullius tibi criminis conscius sis. Verum non est aspernanda publica hominum beneuolentia, nec leuiter curandum, ut de te bene sentiant omnes. Sed existimabis tunc honestam & magnam gloriam te consequutum esse, quæ & te & maiorum tuorum gestis digna sit, si dederis operam ut uniuersi græci sic erga te affecti sint, sicut Lacedæmonij erga suos reges, & socij tui erga te. Nec difficile dictu est, quo modo hæc consequi poßis, uidelicet si fueris communis omnibus ciuitatibus nec significes te alijs familiarem esse, alias odisse. Deinde si talia geras ex quib. græci intelligant, se tibi fidem tuto habere posse, barbaris uero formidabilis existas. Ac ne mireris, quæ ad Dyonisium Tyrannum scripsi, si liberius tecum egi, cum neque dux sim belli, neque orator. Denique prorsus non sim in repub. Ego enim minime omnium a natura instructus fui ad capessendam rempublicam, Nam neque uocem ad dicendum accomodatam neque animum habui, quo resisterem multitudini, eosque lacessere ac irritare auderem, qui in foro uersantur.

Publica hominum opinio non negligenda principi.

Quod

Quod autem ad ſapientiam & rectam inſtitutionem attinet, tametſi inciuilius hoc aliquis dictum putet. contenderim ac mihi ipſi locum, haud inter poſtremos, ſed qui præſtantiores ſunt alijs, tribuerim, ideoq; hoc modo quo ſolitus ſum, quoq; poſſum, ciuitati alijsq; græcis ac uiris preſtantib. conſulere ſtudeo.

Hactenus & de me dixi, & expoſui quid tibi agendum eſſe erga græcos exiſtimem. De expeditione autem in Aſiam uideor mihi conſilium tunc daturus ciuitatib. quas tibi reconciliandas eſſe dixi, quod aduerſus barbaros oporteat bellum geri, quando eas eſſe concordes uidebimus. Sed nunc ad te ſcribam longe affectus aliter atq; olim eram, cum idem argumentum ad te ſcribebã. Tunc enim iubebam auditores, ut me audacter irriderent & contemnerent, ſi quid infra dignitatem rerum, & exiſtimationis meæ & temporis, quod in ſtudio eloquenciæ collocaueram, dixiſſem. At nunc uereor ne his omnibus dictis multo frigidius diſſeram. Etenim cæteris qui philoſophiæ dant operam, oratio Panegyrica præter alia magnam ubertatem ad eloquenciam attulit. Me uero reddidit infantem, quod nec eadem quæ in Panegyrico ſcripta continebantur, ſum dicturus, nec

Tranſitio.

Secunda pars orationis in qua eſt adhortatio ad ſuſcipiendum bellum contra Perſas.

nec noua inuenire possum. Nec desistendum tamen, sed de quib. institui, dicendum est, & colligenda ea quæ conducere uidentur ad te persuadendum. Et ut maxime non satisfaciam magnitudini rei, nec Panegyricum æquare nunc possim, subministrabo tamen idonea argumenta his qui hanc causam absoluere poterunt. Cum igitur sine domestica concordia aduersus Asiam bellum suscipi nequeat, commode me exordium sumpsisse puto, ex causa quæ maxime ad rem faciebat. Neminem enim quicquam tentare oportet, quam alterutrum græcos esse facturos cognouerit, aut una militaturos, aut certe non aduersaturos esse. Quæ Agesilaus, qui Lacædemoniorum prudentißimus iudicatus est neglexit, non per imprudentiam, sed per ambitionem. Duas enim cupiditates habebat, utramq; quidem honestam, sed que non consentiebant inter se, nec poterant simul existere. Nam & regi bellum inferre & socios Lacædemoniorum reducere in ciuitates suas & Lacædemonios rerum omnium dominos efficere conabatur. Dum itaq; tantum Lacædemoniorum potentiam augere studet, græci in magnas discordias inciderunt. Quare neq; domi otium habebat, neq; barbaris inferre bellum poterat. Ex illis erratis istius temporis facile nunc iudicari po-

Repetitio primæ partis cũ amplificatione commemorato insigni exemplo.

test, non inferendum esse bellum exteris, prius-
quam concordia inter græcos constituta sit, idq;
tibi consulam, & arbitror neminem, qui modo
sanus sit, hoc consilium reprehendere posse. Ex-
istimo autem alios, si qui te ad bellum Persicum
cohortantur, his uti argumentis, quod omnes
suscepto hoc bello ex obscuris clari facti sint, ex
tenuib diuites, ac multarum urbium atq; regio-
num domini. Ego autem alijs utar argumentis,
uidelicet commemoratione istorum qui uidentur a-
liqua clade affecti. Commemorabo autem Cyri
& Clearchi expeditionem. Hos fatentur om-
nes tam facile fudisse regis exercitum, ut si uiri
cum fœminis dimicassent. Sed cum potiti iam ui-
ctoria uiderentur, Cyri temeritate cladem acce-
pisse. Constat enim hunc successu elatum, dum
longe ante alios ad persequendos hostes in fugam
uersos prouolat, circumuentum ab illis fuisse, ac
interfectum, nondum tamen, & si fortuna muta-
ta erat, rex uirib. suis confidere audebat, adeo
ut cum Clearcho & alijs ducib. accersitis in col-
loquium uenerit, promittens se magna munera da-
turum ipsis ac soluto integro stipendio, milites cæ
teros dimissurum esse. Quos cum tali spe ac
data publica fide subduxisset, eos compre-
hensos contra datam fidem interemit, quod erga
deos

Incipit argumentari & hortari ad bellum persis inferendum & primũ a facili ducit argumẽta.

Ab exemplis argumentatur & primum ex minori.

deos peccare mallet, quam ut cum militibus, qui tamen amiserant ducem, pugnaret. Quæ possit adhortatio efficatior esse. Apparet enim hos futuros fuisse uictores, nisi propter Cyri temeritatem uictoria rursus eis erepta esset. Tu autem tales casus facile cauere poteris, & ubi semel uicerit exercitus tuus multo acrius instare, & renouare bellum. Quorum utrumque cum tu efficere queas, maxime oportet te in hac expeditione suscipienda confidere. Nemo uero exstimet me uelle dissimulare, quod horum aliqua eodem modo prius dixi. Si enim eadem argumenta consulto repeterem ut fierent nociora, præclare dicta essent. Quod si declamationem scriberem, huiusmodi reprehensiouem cauere studuissem. Desipere autem uiderer, dum tibi consilij mei sententiam expono, si maiorem haberem curam dictionis quam rerum. Præterea cum uideam alios meis uti, cur ipse solus, ab ijs quæ prius dicta sunt, abstineam. Proinde cum res postulat, & decori ratio sinit, ex meis aliquid mutuari soleo, ab alijs nihil sumo. Idem nunc quoq; facio. Porro differendum mihi uidetur, qualis esse tuus apparatus debeat, & qualis sit istorum. Quod igitur

 potißimum

Amplificat locum a poßibili, ex circumstantijs et collatione, quare alij ante nil effecerint, & contra nunc Philippo uideatur res succeßura esse.

Ab occasione militum conducendorum.

potißimum est, tu habebis græcos erga te beneuolos. siquidem consilium meum sequeris. Illi autem propter decem præfectos Lacedæmonios, græcos inimicißimos habebant. Existimabant enim si rex uinceret futurum ut à præsentibus malis liberarentur, idq; accidit. Si uero Cyrus & Clearchus uincerent, fore ut in acerbiorem seruitutem inciderent, aucta potentia Lacedæmoniorum. Et milites facile inuenies, quotquot uolueris. Sic enim res græciæ habent se, ut minori negotio, multo maiorem ac ualidiorem exercitum ex uagabundis conficere, quam ex ciuib. poßis. Illis autem temporibus nulli mercenarij milites erant, itaq; cum uellent in urbib. conducere milites, maiore pecunia opus erat ad eam rem impetrandam, quam ad stipendium. Quod si iam conferre uoluerimus te, qui cum exercitum sis ducturus, omnia ex arbitrio tuo gubernabis, & Clearchum penes quem olim rerum summa fuit, inueniemus illum nulli unquam exercitui antea præfuisse, sed ex calamitate, quæ ei ad Epirum accidit, primum inclaruisse, cum tu multas & maximas res præclare gesseris, de quib. si apud alios dicerem, digna essent quæ commemorarentur. Nunc cum ad te orationem habeam, superuacaneum est eas recensere. At dignum

est

est ut mentionem quoq; faciamus, aduersus qualem regem te ad suscipiendum bellum incitemus, & qualis ille fuerit, cum quo bellum gessit Clearchus, ut consilium ac potentiam utriusq; cognoscas. Huius pater urbem nostram, deinde Lacædæmonem bello uexauit. Iste autem nullos unquam hostes regionem suam deuastantes, uicit. Deinde ille totam Asiam certo fœdere a græcis recepit. Iste tantum abest, ut græcis imperet, ut nec suam dicionem in officio retinere queat. Itaq; nemo non dubitauerit, utrum existimare oporteat, utrum hic alienet a se uoluntates hominum propter molliciem, an uero prouinciæ fastidiant & contemnant barbaricam potentiam. Quis autem non excitetur ad bellum illi inferendum, hoc statu regni istius cognito. AEgyptus quidem tunc desecerat. Verum metuebant ne quando illaturus bellum, & transitu fluminis, & uniuerso apparatu potiretur. Nunc autem iste liberauit eos hoc metu, maximo enim exercitu comparato, postquam acie dimicasset cum ipsis, recessit illinc non uictus solum, sed etiam derisus, nec dignus uisus est, qui aut regnaret, aut exercitui præesset. Itaq; Cyprus, Phœnice, Cilicia, & alia uicina loca unde classes contractæ erant, tunc quidem cum rege erant. Nunc partim desciuerunt,

A persona regis persarum.

 partim

partim bello ac tantis malis affliguntur, ut nulla utilitas ex his gentibus ad ipsum perueniat. Tibi uero, quod si bellum aduersus illum suscæperis, non inutiles sint futuræ. Et Menidrca opulentißimum omnium in continente, uerisimile est inimiciorem esse regi, quam omnes qui cum eo bellum gerunt, miserrimus enim omnium hominum esset, nisi exitium isti optaret, qui fratrem ipsius iniuria affecit, & secum bellum gessit, omniq; tempore sibi insidias machinatus est, ut corpore ipsius ac fortunis omnib. potiretur, Quæ metuens illi nunc seruire, & magnam uim pecuniæ quotannis transmittere cogitur. Quod si tu in Asiam traicæris, ille tuum aduentum libenter uidebit, existimans te in auxilium sibi uenisse. Et facile efficies ut alij quoq; multi Satrapæ deficiant, si libertatem eis pollicitus fueris, & nomen hoc in Asiam seminaueris, quod cum in græcos incidisset, & nostrum & Lacædæmoniorum imperium dissoluit, Plura adhuc recænsere possem, qua ratione bellum gesturus, statim regno potiaris. Sed uereor ne aliqui reprehendant nos, quod cum nunquam res tantas gesserimus, tibi qui plurima & maxima bella confecæris, consilium dare audeamus. Itaq; non opus esse puto, ut plura de his dicam. Cæ-

A dubia fide præfectorum.

terum

terū non opinor longa adhortatione opus esse. Satis est enim recensere exempla maiorum tuorum, uidelicet patris tui, & eius qui primus regnum Macedoniæ constituit. Præterea & Herculis qui generis uestri autor est. Si quem horum in consilium adhiberes, eadem tibi consulerent. Coniecturam enim facio ex reb. gestis eorum. Nam pater tuus studebat urbium istarum beneuolentiam retinere, quarum amiciciam tibi profuturam esse dixi. Et primus Macedoniæ rex, cum regnum concupisceret non est usus eiusmodi consilijs qualib. utuntur alij, qui regna inuadere conantur. Alij enim in suis ciuitatib. tumultus excitant, ciues trucidant, & per seditionem imperia inuadunt. Iste autem relicta græcia, de occupanda Macedonia cogitauit. Sciebat enim græcos non assuefactos esse ferre monarchas. Alias uero gentes non posse tranquillas esse, nisi monarchas haberent. Cum igitur hoc peculiare consilium sequeretur, regnum adeptus est longe maius ac potentius alijs, Solus enim græcorum cum suæ genti imperare nollet, pericula quæ impēdent monarchis effugit. Nā cæteros quicūq; apud græcos tale aliquid moliti sunt, inueniemus non solum oppressos, sed funditus cum suis familijs deletos esse. Iste

Reiectio quod non uelit plura dicere de modo apparādi belli, Rediti gitur ad adhortationem & argumenta a maiorum exemplis patris, Amyntæ & primi regis Macedonum Perdicæ.

autem cum in summa fœlicitate uixisset, posteris etiam regnum suum tenendum reliquit. De Hercule igitur, alij in laudanda eius fortitudine, ac recensendis certaminibus, immorantur. De cæteris uero animi uirtutib. quib. præditus fuit, neq; poetarum quenquam, neq; oratorum ullam fecisse mentionem constat, Ego autem locum esse uideo singularem ac perdifficilem, nec humilem aut inanem. Sed qui multis laudib. & præclaris reb. abundet, quiq; requirat aliquem, qui pro dignitate illas explicare poßit. Quem si ætate florente tractandum suscepissem, facile demonstrassem progenitorem uestrum, non minus prudentia, philosophia, ac iustitia, quam corporis robore, maiores omnes excelluisse. Iam uero postquam ad locum ipsum perueni, perspecta rerum magnitudine quas continebat, intelligebam uires meas imbecilliores esse, & hanc orationem duplo longiorem fore sentiebam. Ob quas quidem causas, omnia alia omittens, unam ex ipsis rem elegi, quæ & conueniebat his quæ dicta sunt, & hac causa digna erat, & huic loco maxime idonea. Ille enim cum uideret græciam bellis, sedicionib. & alijs malis esse plenam, his pacatis & ciuitatib. in concordiam redactis, exemplum in posterum proposuit, quib. cum aut

Ab exemplo Herculis.

aduersus

aduersus quos bellum gerere conueniat atq;
oporteat. Ausus est enim bellum inferre Troianis,
qui tunc in Asia potentißimi erant, ac tantum ex
celluit uirtute, ut cum alij decennio uix potiti es-
sent Troia, iste paucioribus dieb. quam alij annis,
& quidem cum exiguis copijs rem perfecerit.
Deinde reges in utroq; littore maris mediterra-
nei occidit. quos, nisi eorum exercitus uicisset,
nunquam perdere potuisset. Hæc postquam per
fecit extruxit columnas illas quæ uocantur Her-
culis, trophæum quidem barbarorum, uirtutis
uero suæ ac periculorum monimentum, totiusq;
græciæ terminos. Propterea uero hæc tibi re-
censui, ut intelligas quod hac oratione ad eas res
te adhorter, ad quas ipsis factis te hortari maio-
res uidentur. Omnes igitur qui sibi magnas res
in animo proponunt, & qui imperia concupis-
cunt, tales existere conari oportet. Tibi uero
inprimis conuenit. Cum enim non alienis, sed do
mesticis exemplis utar, æquum est ut ipsum te
excites, desq; operam, ut progenitoris similimus
fias. Non autem dico, quod omnes res Hercu-
lis gestas imitari queas. Nam pleriq; deorum
id præstare non possent. Sed quantum ad man-
suetudinem animi pertinet, ut humanitate ac be-
neuolentia, quam habuit erga græcos, illius uo-

luntatem possis adæquare. Sit autem tibi persuasum, quod si his quæ dixi obsequutus fueris, te qualencunq; uolueris gloriam consequuturum esse. Facilius enim tibi est ex præsenti statu ad summam gloriam peruenire, quam olim erat ex humili loco ad præsentem statum ascendere. Considera autem quod te adhortor, non ut barbaros adducas aduersus hos, quos iniustum esset inuadere, sed ut græcos ducas aduersus barbaros, aduersus quos maxime decet ortos ab Hercule bella gerere. Nec mireris, quod subinde ad beneuolentiam ac mansuetudinem, humanitatisque officia græcis præstanda te adhortor. Video enim acerbitatem imperiorum, & ijs qui in subditos exercent eam, & illis in quos adhibetur, esse perniciosam, mansuetudinem uero non solum in brutis & hominib. cæterisque omnib. probari, sed etiam in dijs, quorum qui beneficia in nos conferunt, Olympij uocantur. Alij uero qui sunt ad pœnas suppliciaq; ordinati, odiosis appellantur nominib. Et hos honore afficimus tum priuatim tum publice positis aris ac templis, Illis autem neq; uota neq; sacrificia fiunt, sed depulsæ. Quæ te considerantē illis asuefcere ac meditari oportet, ut omnes multo de te præclarius quam hactenus senciant. Nam quicunq; maio-

Locus communis de mansuetudine principum.

q; maiorem, quam cæteri, gloriam expetunt, hos in animo sibi res poßibiles quidem, sed uoto similes proponere decet, quas per occasionem perficere conentur. Cum autem ex multis intelligere queas, quod hoc modo tibi agendum sit, maxime intelliges ex ijs, quæ Iasoni acciderunt. Ille enim quanquam tantas res, quantas tu perfecisti, nunquam geßisset, maximam tamen gloriam, non factis, sed dictis consequutus est. Prædicabat. n se in Asiam traiecturũ esse, ut Persis bellum inferret. Quod si uero is, dißipato isto rumore famam nominis sui illustriorem reddidit, qualẽ ipsos de te opinionẽ habituros existimas, ubi hæc re ipsa perfeceris, ac præsertim si totũ regnũ subigere conatus fueris. Sin minus, regionẽ quantũ poteris maximã eripias, eãq; Asiæ partẽ occupes, quã a Cilicia terminari ad Sinopen aiunt. Vrbes præterea ibidem condas, & istos eo deducas, qui paßim propter inopiam rerum necessariarum uagantur, omnia quocumq; uenerint deuastantes. Qui nisi coacti in unum locum coherceantur, & quæ ad uitam sunt necessaria habuerint, paulatim nobis non animaduertentib. ita crescent, ut non minus græcis, quam barbaris formidabiles sint, quorum nullam gerimus curam, sed nobis omnib.

Redit ad adhortationem.

Ab exemplo Iasonis Pheræi, qui non multo ante Philippum Thessaliam tenuit.

Deducendæ Coloniæ et tradendi agri uagis militib.

augeri

augeri communem metum ac periculum ignoramus. Est igitur prudentis uiri, qui & græcos diligit, & longius ante alios animo prospicit, talib. contra barbaros abuti, ac tanta regione, quanta paulo ante diximus, abscisa uagos milites liberare his malis, quæ & ipsi paciuntur, & alijs præbent. Tum constituere ipsis urbes, quæ græciam muniant, ac tanquam nobis omnib. propugnaculum esse possint. Hæc enim si feceris, non solum illos beatos, sed nos omnes etiam securos reddes. Sin autem frustratus fueris, tamen illud facile assequeris, ut ciuitatib. in Asia sitis pristinam libertatem restituas. Quidquid autem horum efficere potueris, uel tentaueris solum, non dubium est, quin longe clarior futurus sis cæteris. Nec immerito. Siquidem ipse tua sponte ad hæc incitatus, græcos quoq; impuleris. Quoniam nemo est qui non iure nunc miretur ea que contigerunt, ac despiciat nos, quod apud barbaros, quos effœminatos & imbelles, & delinitos esse uoluptatũ illecebris existimabamus, uiri extiterint qui imperium græciæ concupiscere ausi sint. Nec græcorũ quisquã habuerit tantũ animi ut dominos Asiæ nos efficere conatus sit. Adeo autẽ superant nos animi magnitudine, ut cum illi ultro nobis iniuriam attulerint, nos ne lacessiti quidem propulsare

Alia utilitas ut græcia exoneretur in quietis hominibus deductione coloniarum.

uim

uim audeamus. Cumq; ipsi fateantur se in omnibus expedicionib. neq; milites neq; duces habere, nec ullis deniq; reb, ad pericula necessarijs instructos esse, sed hæc omnia a nobis accersi, tamen amentia nostra tanta est, ut cum tuto potiri illorum imperio possemus, bella tamen inter nos de nihili reb, geramus. Et simul dum eos, qui ab imperio regis desciuerunt, euertimus, non animaduertimus quod una cum paternis inimicis hos qui nobis cognati sunt, perdamus. Proinde existimo eciã te ex utilitate tua facturum esse, si cum alij tam effœminati sint, bellum illi inferas. Decet autem cæteros qui ab Hercule orti sunt, quiq; eadem republica, & eisdem legib. tenentur, illam urbem amare, quam ipsi inhabitant. Te uero tanquam liberum natum, totam græciam patriam existimare, quemadmodum & progenitor uester, & pro ipsa æque te periculis obijcere, atq; pro ijs, quorum maximam curam geris. Fortassis autem aliqui me reprehendere audebunt, qui nihil aliud quam calumniari possunt, quod omissa urbe nostra, te ad expeditionem aduersus barbaros, & ad suscipiendam curam totius græciæ hortari uoluerim. Ego uero, si cum ullis alijs prius de his quam cum patria disputassem, quæ græcos in libertatem ter asseruit, bis quidem a barbaris, semel a potentia

Cur ad Philippum potius, quam suos ciues scribat.

Lacedæ-

Lacedæmeniorum, faterer me iure reprehendi. Nunc autem constat, quod primum illam summo studio ad hæc cohortatus sim, sed ubi orationē meam animaduerti, minus autoritatis apud ipsam habere, quam illos qui pro concione furebant, eam quidem missam feci, nec ideo tamen a suscepto negotio destiti. Quapropter omnes me non immerito laudarint, quod quantum in me est, summam semper diligentiam adhibui, ut barbaris bellum inferretur, & accusaui eos qui diuersum a me sentiebant. Persuadere autem istos conatus sum, quos maxime sperabam posse, & de græcis benemereri, & præsentem fœlicitatem barbaris eripere. Propterea etiam ad te orationem nunc habeo. Quanquam enim oratio mea inuidiam subitura est, tamen res ipsas, ubi abs te perfectæ fuerint, omnes probabunt, ac quamuis hoc consilium nemo adiuuerit, tamen omnes beneficio tuo frui uolent. Porro considera, quam turpe sit nobis perpeti Asiam dominari Europæ, & barbaros opulentiores esse græcis.

Ab indignitate confert enim ortum Cyri, et Herculis posterorum.

Præterea Cyri posteros, quem in publicam uiam mater exposuerat, reges magnos nominari. Herculis uero posteros cuius ortum genitor ipsius propter uirtutem ad

deos

deos retulit, humiliorib. quam illos titulis appellari. Quorum nihil concedendum est, sed transponenda hæc omnia, & inuertenda sunt. Scias autem quod nihil horum tibi persuadere conatus essem, si solam potentiam, & opes te ex istis consequuturum uiderem. His enim iam & abundare te puto, & omnes eorum copiam existimo consequi posse, quicumq; pericula adire uoluerint ut aut hæc assequantur, aut uitam profundant. Enimuero horum causa non institui orationem, sed quod amplißimam ac pulcherrimam gloriam tibi propositam esse iudicaui. Cogita autem quod omnes mortalia corpora habeamus, Verum gloria, & laude, & fama posteritatis, immortalitatem assequimur, quam qui concupiscunt, eos multa perferre decet. Vides hos qui inter priuatos habentur honestißimi, quod cum alioqui propter nullam rem in periculum uitam adducant, pro insigni tamen gloria consequenda, in bellis æquo animo mortem oppetant. Quicunq; enim subinde maiorem famam concupiscunt, plane ab omnib. laudantur, qui uero nihil aliud, quam quod uulgus nullo iudicio admiratur, desiderant, abiectiores esse & deteriores

Collatio locorum utilitatis & honestatis.

uidentur

uidentur. Quod autem omnium quæ dixi maximũ est, sæpe quidem contigit, ut imperia & opes peruenerint in hostium potestatem. At beneuolentia ciuium stabile bonum est, quæ non potest ad alios transmitti nisi ad liberos. Itaq; puderet me, nisi horum gratia, mouendam hanc expeditionem, & suscipiendum bellum, & periculum adeundum esse, tibi consuluissem. Verum ita de his optime statues, si non modo hanc te orationem, sed maiores egregijs factis atq; exemplis te adhortari existimaueris. qui propter susceptam aduersus illos expeditionem clariores facti, pro semideis habentur. Præcipue uero exuscitet te tantarum rerum perficiendarum occasio, cum regum in Europa longe potentißimus sis, & is contra quem bellum geres, præ cæteris omnibus qui unquam fuerunt, odio & contemptui habeatur. Magnopere uellem me omnia quæ de hac causa alibi dixi colligere posse. Operæpretium enim esset in hoc argumento elaborare. Verum oportet te quoq; considerare hæc argumenta, & expendere ea quæ ad præsens institutum faciunt, teq; ad bellum hortantur. Nec ignoro quod pleriq; græcorum persicum exercitum inuictum esse arbitrantur, quorum opinionem miror, quod copias ex seruis ab homine barbaro ac male instituto

Epilogus ad hortationis.

Ab occasione.

A posSibili.

tuto collectas, ab homine græco & rei militaris perito, non posse dißipari ab his qui libertatis retinendæ causa periculum suscipiunt, existimant, cum sciant, facilius esse delere magnos exercitus, quam comparare. Cogita autem, quod hos præcipuo honore omnes afficiant, qui utrumq; & domi gubernare respub. & foris bella gerere norunt. Cum igitur illos tantopere prædicari uideas, quorum eiusmodi aliquod erga unam ciuitatem beneficium extat, quantas laudes te consequuturum putas, ubi totam græciam beneficio tuo administrari tuisq; auspicijs barbaros funditus deletos esse, compertum erit? Ego quidem perfici rem posse statuo, cum nemo sit qui unquam maiores res gesserit. Nec maius abs te fieri quicquam potuit, quam quod inter græcos restincto bello publicam pacem & concordiam constituisti. Neq; poßibile erit barbaris semel amisso exercitu comparare nouum, & bellum instaurare. Itaq; nemo alius hoc tempore existit, etiamsi ingenio excellat, qui hoc efficere queat. Et res tuæ præclare & ex utilitate publica gestæ, maiorum res gestas quantumuis laudatas, superant. Plura enim regna euertisti, quam uel alij græci urbes expugnauerunt. Idcirco si cuiquam horum te conferre uelim, facile demonstrare

Ab honesto.

A persona Philippi regis quod nemo res maiores antea gesserit.

 strare

strare queam, quod res longe maiores quam illi gesseris. sed mihi duab. de causis abstinendum ab hac collatione duxi, tum propter eos qui non in ioco uterentur, tum propter hos qui istos, quos semideos fuisse persuasi sunt, nolunt postponi præsentib. Porro ut ueterum quoq; mentionem aliquam faciamus, animaduerte quod Tantali opes, et imperium Pelopis, et Euristhei potentiam, nulli neq; oratores neq; poetæ laudauerint. Sed quod non solum Herculem qui longe excellit omnes, sed etiam Theseum, & hos qui Troiam ceperunt, ac quicunq; deniq; horum similes fuerunt, cuncti celebrauerint, quorum cum præstantißimos & optimos quosq; in paruis oppidis et insulis regnasse compertum habeamus, diuinam tamen atq; ob omnibus prædicatam nominis sui famam reliquerunt. Omnes enim amant eos, non qui magnum sibi ipsis regnum compararunt, sed qui autores plurimorum bonorum græcis extiterunt. Nec de regibus tantum, sed de omnibus hanc opinionem habuerunt. Quoniam nec urbem nostram ideo quisquam laudauit, quod imperium maris habuit, quod magna exacta pecunia, socios in arcem perduxit. Nec quod multis deniq; ciuitatibus imperauit, quas partim euertit funditus, partim auxit, nonnullas etiam

Collatio meritorum & potentiæ ex qua ratiocinatur honestius esse benefacere, quam magnã potentiam consequi.

las etiam pro arbitrio suo gubernauit. Nam quidlibet horum faciendi potestatem habebat. Sed hæ res odia pepererunt ei acerbißima. Propter pugnam autem in Marathone, & propter nauale prælium ad Salamina commissum, quod communem istic græcorum salutem suæ anteposuit, ab omnibus amplißimis laudibus uehitur. Idem & de Lacedæmonijs sentiunt, quorum in Thermopylis stragem pluris quam alias uictorias faciunt. Ac Trophæum quod a barbaris aduersus eos erectum est, laudant & spectant. Quæ autem a Lacedæmonijs contra alios erecta sunt, iniquo animo uident, illud enim uirtutis argumentum esse, Hæc uero cupiditatis arbitrantur. Quæ cum omnia perpenderis atq; apud te reputaueris, si quid frigidius dictum erit, rationem te ætatis meæ habere decet, cui omnes merito ignoscere debent. Sin autē horum quæ prius exposui, non dißimilia fuerint, ea non meam senectutem inuenisse, sed mihi diuinitus esse suppeditata credendum erit, non propter me, sed propter graciam, quod eam dij a præsentibus malis liberare, & te maiore gloria cumulare uolunt quam hactenus contigit. Nec te ignorare opi-

Amplificat autoritatem orationis per trās lationem ad autorem deum, et se extenuat.

nor, quomodo res humanas dij gubernent. Non enim illi obijciunt bona ociosis, sed mentem incitant ad bona uirtute paranda. Sicut fortaßis & nunc me ad dandum consilium impulerunt, te uero ad suscipiendum bellum destinauerunt, quod id gubernare te posse, meam autem orationem nulli molestam esse iudicent. Neq; enim existimo te res maximas quas hactenus geßisti, sine ope diuina efficere potuisse, Atq; affuit deus, non ut cum barbaris qui in Europa habitant perpetuo bellū gereres, sed ut in his exercitatus, uires tuas experireris, & postea his animum adijciendum esse intelligeres, de quibus tibi consului. Turpe igitur est, fortuna ad optima ducentem nolle sequi, neq; his se accommodare, ad quæ perducere te conatur. Cum autem omnes honore afficere debes qui res tuas prædicant, tum illos maxime dignos honore existimes, qui ingenium tuum maiorib. reb. gerendis dignum putant. Nec hos solum qui in præsentia uirtutes tuas laudibus uehunt, sed illos etiam qui hoc agunt, ut uniuersa posteritas te magis quam omnes omnium temporum reges, admiretur. Plura disputare in hanc sententiam cum uelim, non possum, propter eam causam, cuius mentionem feci sæpius quam opus erat. Reliquum igitur est, ut ea quæ dicta sunt

A signo.

colligam

colligam, quib. in pauca collatis summam totius consilij mei perspicias. Sentio enim te benemereri de græcis debere, ac regnum Macedonum ita constituere, ut barbaris quamplurimis imperes. Quod si hæc feceris, omnes tibi gratiam habebunt. Græci quidem, quod maximis a te beneficijs affecti sint. Macædones quod regio non Tyrannico more regnaueris. Aliæ uero gentes quod tuo beneficio a barbarica seruitute liberatæ, græco more gubernentur. Hæc utrum sint apte & satis accurate a me scripta, uestrum iudicium erit. Hoc affirmare possum, nullum tibi cõsilium melius aut conuenientius huic tuæ potentiæ atq; fœlicitati, quã hoc meum est, dari posse.

FINIS.

ELEGIA DE ADVENTU CARO-
LI.V.CAESARIS, SCRIPTA
Augustæ ad Eobanum Hessum.

QVod legis, Augusta tibi mittit ab urbe Sabinus
Carmẽ, amiciciæ deditus Hesse tuæ (
Hinc, ubi uicinos Lycus irrigat alpibus agros,
Sueuaq; Boiorum separat arua solo.
Accipe, si qua tenet rerum te cura nouarum,
Quæ fuit hic isto pompa peracta die.
Carolus Ausonijs Cæsar quo uenit ab oris.
Digna quidem res est cognitione tua.
Concaua syderei quo tempore brachia Cancri
Ceperat adductis urere phœbus equis.
Arctabatq; dies, noctis, longißimus, umbras
Sole Lycaonio iam propiore polo.
Et noua maturis instabat fructibus æstas,
Actaq; purpurei tempora ueris erant.
Cæsar ab Italia per Norica iugera tendens,
Mœnibus huc nostris adproperauit iter.
Vix bene contigerat præmissus nuncius urbem,
Certaq; Principibus fama relata fuit.
Mox coit imperij cum nobilitate Senatus,
Omnis in occursum turbaq; læta ruit.
Haud secus, ac uictis cum dicitur hostibus olim
Excepisse suos obuia Roma Duces.

Mille

Mille bis electi iuuenes e ciuibus ibant,
Nota quibus sæui prælia Martis erant.
Hi patriæ solito framcas de more gerebant,
Transuerso cincti militis ense latus.
Cætera cornipedum pars terga premebat equorũ,
Ordine quæ ciues pone sequuta fuit.
Vrbs stat in excælso procul edita uertice montis,
Incola Fridburgum nomine turba uocat.
Campus odoratis nitidissimus adiacet herbis,
Mollis & aprico gramine terra uiret.
Obuius hic factus cum Cæsar euntibus esset,
Omnes, quotquot erant, desiliere Duces.
Tunc, tuus excipiens illum Moguntia præsul,
Hæc dedit ornatis uerba diserta modis.
Fœlix ille dies, nostris quo redditus oris,
Hesperio incolamis Cæsar ab orbe uenis,
Quo repetita tuos iterum Germania uultus
Conspicit & fruitur numine læta tuo.
Tantus es inuicto qui pectore, tantus & armis,
Quantus ab Augusti tempore nemo fuit.
Nam mihi si rerum percurrere gesta tuarum,
Si licet hoc coram te memorare loco,
Insignes omni superas uirtute Monarchas.
Quos dedit, aut unquam Teutonis ora dabit.
Quæ toties Aquilas iniustis terruit armis
Concidit ante tuos Gallia uicta pedes,

Captiuumq́; pati conspexit uincula Regem,
Qui summus nostri nominis hostis erat.
Debellata tuis accessit Roma triumphis,
Iniussu quanquam capta sit illa tuo.
Quiq; suis orbem Tybcrinus subdidit undis,
Te dominum domitis esse fatetur aquis.
Paret, & Adriacus stabili leo fœdere iunctus
Cæsareas rapidis unguibus horret aues,
Qui pelago terraq́; potens, hostilibus armis
Imperio semper restitit ante tuo.
Sentit adhuc obsessa tuas Florentia uires,
Iamq́; tibi uictas porrigit illa manus.
Ergo tot aduersos cum debellaueris hostes,
Cognite laudato Carole maior auo,
Nos tibi gratamur reduci, superosq; precamur
Tempora quo uitæ sint diuturna tuæ.
Victor ut a nostro depellas limine Turcas,
Teutona qui ualido milite regna petunt,
Mœstaq́; dant sæuo grassantes funera ferro,
Pannoniæ miseros dum populantur agros.
Quod nisi crudeles tua dextera uicerit hostes,
Nos sumus infestis præda futura Getis.
At nisi me ueterum fallunt oracula uatum,
Sentiet ultrices impia turba manus.
Tempus enim Solymam quo castra locabis ad urbem.
Adfore, fatidici præcinuere senes.

Quoq́;

Quoq; Sardœnos coges uictricibus armis
Subdere Cæsareo barbara colla iugo.
Hanc utinam nobis optato Lucifer ortu
Prouocet, & roseo mox uehat axe, diem.
Talia facundo postquam dedit ore, sequutum
Vltima sermonis murmur equestre fuit,
Audijt ut quando Ciceronem Roma loquentem,
Clamoso fremuit concio tota foro.
Principibus uero paucis pro tempore uerbis,
Ipse suo grates nomine Cæsar agit.
Et, quia se prono condebat lumine Titan,
Ocyus inceptum carpere pergit iter.
Iamq; propinquantes ut mœnia celsa subibant,
Pulsa sub aerijs turribus æra sonant.
Intonat ex altis & machina bellica muris,
Sulfureo rapidos quæ iacit igne globos.
Compita spectantis populi stant plena uiarum,
Angustumq; frequens turba coarctat iter.
Saxoniæ proceres intrabant ordine primi,
Proximus his socios Marchio iunxit equos.
Pone sequebantur, latis quibus Hessia terris
Imposuitq; suis nomina Rhenus aquis.
Quiq; colunt patrijs flauentem sedibus Istrum,
Quiq; tenent Francis edita rura iugis.
Præterea celebri quos alluit amne Visurgis,
Vestphala cæruleis qui rigat arua uadis.

Quid tibi commemorem, qui nobile flumen Iberi
  Diuitis & ripas deseruere Tagi?
Incomperta mihi quorum nec nomina constant,
  His neq; conueniunt uersibus apta meis.
Innumeri iuuenes mixto clangore tubarum,
  Quassabant agili tympana pulsa manu.
Binaq; Cæsarei gestabant sceptra ministri,
  Imperij summos qui præiere Duces,
Ex quibus auratum septemuir prætulit ensem,
  Saxoniam placida qui modo pace regit.
Hac igitur longa procerum stipante caterua,
  Atq; Ducum tanta concomitante manu.
Ipse figurata picti sub imagine cœli.
  Inuectus niueo Carolus ibat equo.
Omnis in hunc oculos defixos turba tenebat,
  Omnibus hic populis solus in ore fuit.
Inde Bohemorum qui regna uetusta gubernat.
  Proximus a Diuo Cæsare frater erat.
Vltimus orator Romani præsulis ibat,
  Nomine Campeium se uocat ille suo.
Insignis Tyrio quem muricæ mula uehebat.
  Mos ut in Hesperijs urbibus esse solet.
Tempora puniceus cingebat operta galerus,
  Canicie nigras inficiente comas,
Tunc iter, Austriaci proceres, Heduiq; sequuti,
  Atq; Tridentinus continuabat eques,

Vin-

Vindeliciq; suo redeuntes agmine ciues,
Qui prius egreßi mœnibus urbis erant.
Ardua sublimi spectatur culmine turris.
Hic ubi stat medio curia iuncta foro,
Quæ Germanorum ueteres ex ordine Reges.
Pictaq; clarorum continet acta Ducum.
Hic fera robusti misœnt ubi prælia Cimbri,
Attonito pauidus milite Carbo fugit.
Nexa gerit Scaurus captiuo uincula collo
Cæsus & hostili Manlius ense cadit.
Impiger Arminius Romanos exuit armis.
Quo duce libertas nostra redempta fuit.
Parte alia Scythicis egressos finibus Hunnos,
Primus Otho forti pectore uictor agit.
Multus ad hanc turrim longo stetit ordine clerus,
Cæsare contigua prætereunte uia.
Omnibus abraso detonsi uertice crines
Omnibus ex humeris candida uestis erat,
Inde sacram diuæ subeuntes uirginis ædem,
Carmine solenni concinuere preces,
Arboreis stabant decoratæ frondibus aræ,
Sparsaq; iactatis templa fuere rosis.
Interea toto subducta crepuscula cœlo,
Ortaq; rorife ræ tempora noctis erant,
Dimißis igitur Ducibus, cum fratre subibat
Carolus hospicij tecta propinqua sui.

Atq;

Atq; ita, quam celebri res tota ſit acta triumpho.
Omnia deſcriptis ordine rebus habes,
Cætera præſenti coram ſermone loquemur,
Tempore quo repetam mœnia ueſtra, Vale.

FINIS.

DIONYSII HALICARNASSENSIS ſententia de Iſocratis orationibus, ex qua iudicari poteſt, hanc orationem quam uertimus in præcipua admiratione apud græcos fuiſſe, quod eas res uideretur complexa eſſe, quæ maxime tuendæ eſſent magno principi.

QVI ad remp. acceſſuri ſunt, hunc oratorem in manib. habere debent, et qui uerã philoſophiam, quæ non uerſatur in diſputationibus, ſed in reb. gerendis amplectuntur, quiq; non illud ocioſum uitæ genus in quo ipſi ſuauiter uiuant, ſed negotioſum & utile reipub. uitæ genus ſequuntur, his cenſeo hunc oratorẽ legendum atq; imitandũ eſſe. Quem nõ accendat ad patriæ amorem, & laudes amplificandas, & ad bene faciendum reipub. oratio panegyrica ad Philippum ſcripta, in qua commemorans res geſtas ueterũ, oſtendit eos non ſolum in re militari fortes & acres fuiſſe, ſed etiam domi moderatos, dignitatem conſer

conseruantes, & continentes & magis de re publica quam de priuatis rebus sollicitos, nec aut aliena, aut impoßibilia affectasse, et fœlicitatem nõ metitos esse pecuniæ magnitudine, sed honestate, existimantes se maximas opes relinquere posteris, & minime inuidiosas, si relinquerent eis beneuolentiam erga se ciuium. Præterea honestam mortem longe meliorem esse ignobili uita ducebãt, & dabant operam non tam ut nouas leges accurate scriberent, atq; emendarent, quam ut ueteres cõseruarent. Nec contendebant inter se ut interfectis ciuib occuparent imperium, sed ut alteri alteros beneficijs superarent. Et eadem ratione utentes erga uniuersam græciam deuinciebant sibi ciuitates, quas in potestatẽ suã redigebant beneficijs adiunctas, nõ ui captis, promissa fidelius seruãtes quam nunc seruent iusiurandũ. Et pacta, religiosius facientes quam nunc ui imperata faciant. Sic se gerebant erga subditos quemadmodum se tractari uoluissent, si qui eis imperassent. Cumq; hoc modo se gererent, in suis quidem ciuitatibus habitabant, sed uniuersam græciam patriam esse ducebant.

Quis autem uir potens non libenter legat alteram orationem scriptam ad Philppum Macedonem, in qua hortatur bellicosum ac potentem principem, ut græcas ciuitates in concordiam

redigat

redigat, ne excitet inter eas intestinũ bellũ, sed proferat fines imperij græcorũ, et omißis indignis ac pusillis rebus, talia suscipiat, quibus perfectis clarißimus omnium ducum euadat, & ut maxime non perficiat, tamen beneuolentiam græcorum maximã consequatur, quam qui adepti sunt, clariores fuerunt alijs, qui maximas urbes atq; regiones œperunt. Hortatur eum & honestißima consilia Herculis & aliorum ducum imitari, qui bella cum barbaris gesserunt, & dicit magnos principes, qui excellere alijs uolunt suscipere oportere res magnas atq; utiles uniuerso generi humano, nec reformidare pericula, cogitantes quod cum constent ex mortali corpore, immortales propter uirtutis laudem futuri sint, et quia aliorum bonorum immodiœ cupidos odio prosequimur, at maiorẽ gloriam expetentes laudant oẽs, et aliarũ rerũ uidelicet opum atq; imperij possessionẽ ad hostes peruenire, gloriã uero uirtutis et beneuolentiam publicam nõ peruenire nisi ad hos qui ex nobis nati sunt. Hæc cum legunt principes, fieri non põt quin ad magnitudinẽ animi & uirtutem accendantur.

Quomodo autem uehementius hortari homines priuatim et publiœ quispiã poßit ad colendam iusticiam, quam hortatur Isocrates in oratione de

pace

pace, in qua suadet Atheniensib. ne concupiscant aliena, sed sua ditione contenti sint, et paruis oppidis tanquam proprijs facultatib. parcant, socios autem studeant beneficijs in fide retinere, non ui atq; sæuicia, ac maiores imitari, non qui proxime ante bellum cum Lacædemonijs gestum funditus euerterunt rempub. sed illos qui græciam olim aduersus Persas defenderunt, & sine ambitione uixerunt. Ostendit etiam quod respub. non possit augeri ui atq; armis, sed iusticia. et beneficentia erga hos a quibus depellunt iniurias. Hortatur & ad conciliandas uoluntates omnium suæ nationis ciuitatum, et ut apparatum quidem belli et exercitus habeant, sed ne cui iniuriam afferant, doceatq; nihil ad augendas opes atq; imperium magis conducere, quam iusticiam, & obiurgat alios, qui diuersum sentiũt, qui iusticiã inutilẽ esse iudicãt, et uiolẽtiã ac fraudes in longũ profuturas esse putant, etsi in præsentia alicubi aliquid lucri afferãt. Nec mihi honestiora nec magis uera, aut philosophiæ cõsentanea dici posse, hac oratione uidentur.

ERRATA. A ij pro inuenis suppex, lege, iuuenis supplex, et gentes pro gestes.

A iij, quiq; sæpe in Europa traiecerant, lege in Europam. A iiij. imaginem, pro imgainem. A vi. in dicionem pro indicionem. Et imprudentur, pro imprudenter. Et cõponi rem pro componirem.


epistola a ... absentes ad absentes ab
... aliqua deferens

capta dicitur a verbo greco ἐπιστέλλω i. mitto
... ... ἐπιστολή
... vale ἡ ἐπιστολή i. ... quod
aliquid ad aliquem mittitur

pergas ut [illegible]
[illegible] [illegible]

bonos in proposito

bao [illegible] [illegible] liber


98621 A